



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

8. V. poßit naturali ratione ostendi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

humanæ, non est simpliciter perpetua, sed temporalis. Quia vero anima hominis est perpetua, ideo in illa perpetuo durare potest beatitudo hominis quantum ad id, quod in ea essentiale est, scilicet quantum ad cognitionem & amorem Dei naturalem. Et hoc tantum est debitum, ac consentaneum naturis rerum: quidquid vero ultra hoc additur, supernaturale est. Rursus quamvis spes resurrectionis sit convenientissimum medium ad continendos homines in officio, & optimam rationem providentiæ, & servandæ iustitiæ distributiæ contineat: tamen non propterea dicendum est, huc providentiæ modum esse simpliciter debitum naturæ. Posset enim Deus alijs modis hominē gubernare. Imo aliqui censent, & insinuat Scotus, si sola ratio naturalis spectetur, fieri potuisse, ut Deus nullum speciale iudicium ferret de factis hominum, bonis præmium, malisq; poenā tribuendo. Hoc tamen licet potuerit fieri à Deo, ut supremo Domino: non tamen censeo, talem providentiæ modum esse rebus ipsis, & naturis rationalibus consentaneum. Melius ergo dicitur, potuisse Deum statuere alium modum providentiæ, & iustitiæ intra ordinem naturæ contentum. Nam quia anima est principium proprium, ac per se actionis bonæ, aut malæ, satis est hominem in ea recipere præcipuum virtutis præmiū: corpus autem, quod tantum est organum animæ, sicut in hac tantum vita mortali esset instrumentum virtutis, ita in eadem posset recipere aliquod præmium suæ actioni proportionatum. Quod non oportet, ut consistat in divitiis temporalibus & voluptatibus, quæ non solent ad virtutis exercitationem valde esse utiles: sed in alijs bonis, vel auxilijs, quibus corpus ipsum facilius & commodius posset ad virtutis studium accendi. Nullo ergo modo debita est homini resurrectio ex sola providentia naturali. Quæ omnia confirmari possunt eleganti testimonio Cypriani, ser. de Resur. Christi Homo, qui ex caelesti, & terrena materia compactus est, vestitus extrinsecus pelle, & carnibus, tempus accepit, quod te iubente redderet terræ, quod de terra assumpserat, & ad imaterialem originem reverteretur spiritus, cuius natura dissolutionis non admittit iniuriam. Corpus putredine, & caro vermibus consumenda, secundum naturæ suæ rationem non poterat à eternitatis privilegio perfrui: & quod sibi iure non cōpetebat, à conditore nequibat exigere. Neque vlla eorum interrogatio super hoc merebatur responsum. Sed tu, optime Domine, vltro gratiam volens dare spiritui, decrevisti clementius, ut ex societate, & ciuitela, quam reddiderat anima caro, aliquid ei commodi proveniret, & quæ ei vehiculum fuerat, & particeps studiorum, in recompensatione ministerij iterum dilecto accola consociata, pudica, & pacifica rediret, nullas secum reuehens contumelias, quibus deinceps quietis interna concuteret puritatem. Sed & hoc Domine, ad cumulum beneficij addidisti, ut inter legem carnis, & spiritus nulla postmodum esset diuersitas, nec post initium fœdus, vlla iterum inter eos recrefcat rebellio, sed per manum tuam reconciliatio ordinata stabili in perpetuum perseveret. Teigitur iubente terra fit caro, & expulsa de domo iterum coniungatur viro, non iam ancilla sed libera: & habitant vnius moris in domo, murmuracionibus consopitis, quas olim compugnantes inter se concupiscentia concitabant.

Ex quibus vltimis verbis potest alia ratio, & vltima ad hoc idem confirmandum colligi. Quia si ex natura rei deberetur animæ separatae reditus ad corpus, vel deberet hoc fieri in corpore mortali, & corruptibili, atque eodem modo passionibus, mutationibusque subiecto, sicut nunc est: vel in corpore ab his omnibus incommodis abstracto. Si dicatur hoc secundum, aperte sequitur, illum resurrectionis modum non posse esse naturæ debitum. Qui enim fieri potest, ut corpori natura sua mortali ex naturali providentia debeatur immortalitas? Providentia enim naturalis non extenditur ad ea dona, quæ sunt præ-

ter, vel supra naturam. Alioqui dici posset statum illum, quem Adamus habuit ante peccatum, quoad eum modum immortalitatis, & impassibilitatis corporis, quem tunc habuit, & quoad perfectam subiectionem inferiorum virium animæ ad superiores, fuisse illi debitum ex providentia naturali, quod tamē est omnino falsum. Si vero dicatur primum, sequitur in primis procedendum esse in infinitum in hac resolutione mortis, & resurrectionis hominis. Quia si resurgeret mortalis, iterum moreretur, ergo, quæ ratione post primam mortem suscitatus est, excitandus esset post secundum, & ita in infinitum. Quod tanquam magnum absurdum, & ludibrium insert Aug. lib. 12. de Ciuit. cap. 13. contra eos Philosophos, qui dicebant, futurum esse in Vniuerso perpetuum earundem rerum reditum atque circuitiōnem. Deinde tale corpus non esset desiderabile, neq; animæ accommodatum, præsertim si naturalem beatitudinem esset consequuta. Impediret enim illam, ne expedit, ac sine impedimento posset Deum contemplari, & amare, redderetq; iterum subiectam doloribus, & afflictionibus huius vitæ. Quocirca licet anima pondere naturali dicatur appetere corpus, quia est naturalis forma eius: & quando est in illo naturaliter, refugiat mortem, quia non est alium statum experta, & quia simpliciter potius velle perfectionem sui corporis acquirere, quā illo probari, iuxta illud, *Nolumus expoliari, sed superuestriri*: tamen anima semel à corpore separata, & naturaliter beata, appetitu elicitō, ac recto potius, credo, eligeret manere separata, quā redire ad corpus corruptibile, & passionibus, ac ærumnis obnoxium. Quia reuera maius sibi nocumentum asseret, quam commodum. Quapropter status animæ separatae per se non potest dici simpliciter violētus. Quia licet in eo careat anima complemento alicuius appetitus naturalis: tamen proprie nulla vis ei inferitur. Sicut cæcus non dicitur esse in statu violento, sed imperfecto, sicut etiam anima esset in statu aliqua ex parte imperfecto: non tamen simpliciter violento, præsertim quia secundum appetitum elicitum, & rationale illum statum præferret alteri, quem naturaliter habere posset in corpore mortali. Et ex his satis responsum est ad rationes dubitandi superius politas.

SECTIO VIII.

D *Utrum possit naturali ratione ostendi resurrectionem esse possibilem.*

Quidam existimant nullo modo cognosci posse, quia est supernaturalis: ratio autem naturalis non habet sufficientia principia, quibus iudicet de super naturalibus mysterijs, etiam ut possibilia sunt. Propter quod diximus in principio huius materiæ, non posse ratione naturali cognosci incarnationem esse possibilem. Et ita opinatur de resurrectione Medina hic art. 2. & indicat Sot. in 4. d. 43. q. 1. ar. 3. Sed in primis non negant hi autores, posse inueniri rationes naturales valde probabiles, quæ persuadeant resurrectionem esse possibilem: neque ego audeo dicere posse hoc demonstrari ratione ita conuincente intellectu, ut à nemine, etiam proteruo, possit negari. Præsertim cum videam non defuisse Theologos fide illustratos, qui negauerint, posse Deum iterum producere rem in nihilum reductam.

Nihilominus tamen existimo, rationem factam in 4. conclusione, sect. 6. cum omnibus, quæ circa illam dicta sunt, satis esset ad conuincendum intellectum bene dispositum, esse fere physicam demonstrationem. Denique censeo fere æquali euidencia probari, posse Deum rem corruptam reparare, sicut posse aliquid ex nihilo creare, præsertim in homine, quomodo post cuius corruptionem manent partes, ex quibus possit ostendi

com-

componitur. Vt enim rectè dixit Gregor. hom. 26. in Euang. Longè minus est Deo reparare, quod fuit, quam cre-
 asse, quod non fuit. Aut quid mirum si hominem ex puluere
 refecit, qui simul omnia ex nihilo creauit? Et hom. 20. in
 Ezech. Mirari (inquit) solent qualiter caro reuiuiscere possit
 ex puluere. Mirentur igitur altitudinem celi, molem terre,
 abyssos aquarum, omnia quæ in mundo sunt, ipsos quoque an-
 gelos creatos ex nihilo. Minus est valde aliquid ex aliquo fa-
 cere, quam omnia ex nihilo fecisse. Ac propterea dicit i-
 dem Greg. libr. decimo quarto Moral. c. 28. Qui resur-
 rectionis fidem ex obedientia non tenent, certe hanc tenere
 ex ratione debuerunt. Et Lactantius lib. 7. c. 23. Si à prin-
 cipio (inquit) Deus hominem nescio quo inenarrabili modo
 instruit, credamus ab eodem restitui veterem posse qui nouit
 fecit. & Aug. ser. 19. de verb. Apostoli. ubi sic inquit, Te
 appello quicumque, infideli animo de resurrectione dubitas, &
 putas non posse mortuos resuscitari: quid est amplius, ex nihilo
 homines facere qui uiuant, aut eos qui facti sunt & vixe-
 runt, reparare post mortem? Vt quæ plus est facere quod nun-
 quam fuit, quam reparare quod fuit. Quomodo ergo impossi-
 bile esse dicat ut Deus, qui hominem formauit ex nihilo, refor-
 met: Quomodo nos suscitare non potest conuersos in puluerem,
 qui etiam si in nihilum rediremus, facere poterat ut essemus.
 sicut effecit nos esse, cum antea nunquam fuisset. Similia
 habet ser. 64. de verb. Domini in fin. & epl. 49. & epl.
 14. 6. & sæpe alias. Et eandem rationem ex creatione
 sumptam expendit optime Cyril. Ieros. Catech. 4. &
 18. Athenag. li. de resur. mort. Et mihi quidè vim de-
 monstrationis habere videtur, propter ea quæ dixi
 in probatione quartæ conclusionis.

Quam hoc etiam modo declaro: nam opera &
 mysteria supernaturalia, quædam sunt in sua sub-
 stantia & essentia supernaturalia: & de his verum est
 non posse ratione naturali sufficienter agnosci, etiã
 ut possibilia, præsertim quando attingunt Deum ipsū
 qui licet cognoscatur esse, qui tamen & quo modo sit,
 imperfectè cognoscitur solo naturæ lumine &
 huiusmodi est mysterium Incarnationis, & similia.
 Alia vero sunt supernaturalia quoad modum tantū
 quia scilicet res factæ naturales sunt, quamuis mod⁹
 faciendi sit proprius Dei, vel propter virtutem in fi-
 nitam, vel propter summam independētiā, ac do-
 minium in operando: & hæc non repugnant cogno-
 sci ut possibilia ratione naturali. Nā inter hæc opera
 computari potest creatio, quæ ex modo quo fit, pro-
 pria est Dei, & virtutem requirit infinitam, & tamen
 cognoscit per rationem naturalem. Præterea illumina-
 re cæcum, sanitatem subito restituere sine adiu-
 mento causarum secundarum, & similia opera sunt
 supernaturalia hoc modo, videtur tamen euident
 lumine naturæ posse Deum hæc opera facere: quia
 minora sunt quam creatio: & non habent maiorem
 repugnantiam, nisi quod requirunt maiorem pote-
 statem & virtutem agendi quā sit in agentibus natu-
 ralibus: est autem euident Deum habere huiusmo-
 di maiorem virtutem. Denique hoc sensu tantum di-
 citur supernaturalis opus quod superat virtutem a-
 gendi omnium creaturarum: si ergo potest natura-
 li ratione cognosci Deum habere maiorem virtu-
 tem, imò & infinitam & omnipotentem, cur non
 poterit cognosci posse efficere aliquid supernatura-
 le in dicto sensu. Ergo cum resurrectio tantum sit
 supernaturalis in dicto sensu, poterit naturaliter co-
 gnosci ut possibilis, nam hoc non repugnat ex com-
 muni ratione operis supernaturalis, ut declaratum
 est, neque ex speciali ratione resurrectionis, quia reue-
 ra nulla est, ut etiam ostendimus. Quin potius vide-
 tur minus difficile animam & materiam iam existē-
 tes iterum vnire, quam cæcum illuminare, aut simi-
 lia opera patrare. De qua re legi potest Durandus in
 4. d. 43. p. q. 1.

Neque contra hoc obstat, quod resurrectio fide cre-
 enda sit, quæ autem fide creduntur, non possunt ra-
 tione naturali ostendi. Tum quia aliquæ sunt verita-

tes fidei, quæ ratione naturali etiam demonstrantur,
 ut Deum esse, & esse creatorem, & animam esse immor-
 talem, & id genus alia. Tum etiã, quia resurrectionis
 veritas ut pertinet ad fidei articulos non tantū con-
 tinet resurrectionē esse possibilem, sed etiam esse fu-
 turā generaliter in omnib. hominibus: & hoc cū pen-
 deat ex libera Dei prouidentia ac promissione, non
 potest simpliciter demonstrari, quamuis possit ve-
 hementibus coniecturis persuaderi, quas in superio-
 ribus satis terigimus, & de eis videri possunt Ambr.
 Ter. Athen. in libris de resur. Chryl. Greg. Nyf. Aug.
 & Greg. Magn. locis citatis. Basil. homil. 8. Examer.
 Theop. Antioch. l. 1. cont. relig. Christ. calum. D. Th.
 4. cont. Gen. t. c. 49. ubi prædictas rationes euidentes
 appellat. Omitto resurrectionem quam credimus &
 speramus, multa supernaturalia complecti, ut supra
 dictum est, quæ non possunt, etiam ut possibilia ra-
 tione naturali inuestigare.

ARTICVLVS I.

Utrum fuerit necessarium Christum resurgere.

Primū sic proceditur. Videtur quod non fue-
 rit necessarium Christum resurgere. Dicit enim
 Dam. in 4. lib. Resurrectio est, secunda eius, quod
 dissolutum est, & cecidit, animalis resurrectio. Sed Christus non
 cecidit per peccatum, nec corpus eius est dissolutum, ut ex su-
 pra dictis patet. Non ergo proprie conuenit sibi resurgere.

2. Præterea, quicumque resurgit, ad aliquid aliud promouetur:
 quia surgere est sursum moueri: sed Christi corpus mansit
 post mortem diuinitati unitum, & ita non potuit in aliquid
 aliud promoueri. Ergo non competit sibi resurgere.

3. Præterea, ea quæ circa humanitatem Christi sunt, acta ad
 nostram salutem ordinantur. Sed sufficiebat ad nostram salu-
 tem passio Christi, per quam sumus liberati à peccatis & culpa,
 ut ex supra dictis patet. Non ergo fuit necessarium quod Chri-
 stus à mortuis resurgeret.

Sed contra est quod dicitur Luca 9. Oportebat Christum
 pati, & resurgere a mortuis.

Respondetur dicendum quod necessarium fuit Christum re-
 surgere propter quing. Primo quidè ad commendationem diui-
 næ iustitiæ: id quā conuenit exaltare eos qui seipso propter Deū
 humiliant: secundum illud Luc. 1. Deposuit potētes de sede, &
 exaltauit humiles. Quia igitur Christus propter charitatem
 & obedientiam Dei se humiliavit vsq. ad mortem crucis, o-
 portebat quod exaltaretur à Deo vsq. ad gloriosā resurrectionē.
 Vnde ex eius persona dicitur in Ps. 118. Tu cognouisti (id
 est approbasti) sessionē meam (id est humilitatem & passionē)
 & resurrectionē meam (id est glorificationem in resurrectione).
 Sicut Glossa exponit. Secundo ad fidei nostræ instructionem:
 quia per eius resurrectiōem confirmata est fides nostra circa
 diuinitatem Christi. Quia ut dicitur 2. ad Cor. vii. Etsi cru-
 cifixus est in infirmitate, sed uiuit ex virtute Dei: & ideo 1. ad
 Cor. 15. dicitur. Si Christus non resurrexit, inanis est prædica-
 tio nostra, inanis est & fides nostra. Et in Ps. 29. dicitur: Qua
 utilitas in sanguine meo, id est in effusione sanguinis mei, dñe
 descendo, quasi per quosdam gradus malorum, in corruptiō-
 nē? Quasi dicat, nulla. Si enim statim non resurgo, corruptiūq.
 fuerit corpus meum, nemini annuntiabo, nullum lucrabor.
 vi Glossa exponit. Tercio ad subleuationem nostræ sp̄s, quia
 dum videmus Christum resurgere, qui est caput nostrum, spe-
 ramus & nos resurrekturos. Vnde dicitur 1. ad Cor. 15. Si Chri-
 stus prædicatur quod resurrexit à mortuis, quomodo quidam
 dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? Et
 Job. 19. dicitur. Scio, scilicet per certitudinem fidei, quod Re-
 demptor meus, id est Christus, uiuit, a morte resurgens: & ideo
 in nouissimo die de terra surrekturus sum: reposita est hæc
 spes mea in sinu meo.

Quarto ad informationem vitæ fidelium secundum
 illud Roman. 9. Quomodo Christus surrexit à mortuis per
 gloriam

Lactant.
August.

Cyrl.
Asbanas.

Durand.

Gloriam Patri, ita & nos in nouitate vite ambulemus. Et infra, Christus resurgens ex mortuis iam non moritur: ita & vos existimite vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo.

Quinto ad complementum nostra salutis: quia sicut per hoc quod mala sustinuit (humilitas est) moriendo, ut nos liberaret a malis, ita glorificatus est resurgendo, ut nos promoueret ad bona, secundum illud Romanorum quarto, Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.

Ad primum ergo dicendum, quod licet Christus, non ceciderit per peccatum, cecidit tamen per mortem: quia sicut peccatum est casus a iustitia, ita mors est casus a vita. Vnde ex persona Christi potest intelligi, quod dicitur Mich. 7. Ne latebit inimica mea super me quia cecidi, consurgam. Similiter etiam licet corpus Christi non fuerit dissolutum per incinerationem, ipsa tamen separatio animae a corpore dissolutio quaedam est.

Ad secundum dicendum, quod diuinitas erat carni Christi post mortem unita vnione personali: non autem vnione naturae sicut anima vnitur corpori ut forma ad constituendam humanam naturam. Et ideo per hoc quod corpus eius vnitum est animae, promouetur est in altiore statu naturae, non autem in altiore statu personae.

Ad tertium dicendum, quod passio Christi operata est nostram salutem, proprie loquendo, quantum ad remotionem malorum: resurrectio autem, quantum ad inchoationem, & exemplar bonorum.

COMMENTARIUS.

In titulo obseruandum est, necessarium, non sumi absolute pro re, vel actione, quae vel ex necessitate fit, vel ad aliquem finem est simpliciter necessaria. Cōstat enim, Christi resurrectionem & fuisse à Deo factam libere, & potuisse Christum suam resurrectionem vel differre vsque ad diem iudicii, vel omnino eam prae-termittere: & nihilominus saluare homines, & in beatitudine in sola anima regnare. Hoc enim neque contradictionem neque aliquod absurdum includit omnino repugnans Deo, ut dici possit simpliciter impossibile. Necessarium ergo hoc loco dici potest dupliciter, primo prout idem est, quod longe conuenientius, & opportunius, & hoc modo potest dici resurrectio Christi necessaria, & secundum se quia maxime decebat corpus Deo vnitum viuum esse, & gloriosum: & in ordine ad finem nostrae salutis, quia ad eam exequendam erat hoc medium aptissimum. Secundo potest dici necessarium cuius oppositum sit impossibile, non quidem absolute, sed facta aliqua suppositione. Ut v. g. supposito, quod Christus prae-dixerat se resurrecturum, necessaria omnino erat eius resurrectio, quia non potuit non esse fidelis, & verax. Quo sensu recte dixit Paul. 1. ad Cor. 15. Si Christus non resurrexit, vana est fides nostra. Similiter supposito Christum de iustitia meruisse suam resurrectionem, necessarium simpliciter erat ipsum resurgere. Quia non potest Deus premium de iustitia debicum negare, cum hac iustitia eius promissio nem supponat. D. Thom. ergo in hoc titulo videtur necessarium sumere utroque modo, seu abstracte, ut ex rationibus eius colligitur.

Respondet ergo resurrectionem Christi fuisse necessariam. Quam assertionem quinque rationibus confirmat. Prima fundatur in meritis Christi, & in ordine diuinæ iustitiae. Quae fulciri potest verbis eiusdem Christi Luc. 23. Nonne oportuit patri Christi, & intrare in gloriam suam: & verbis Pauli ad Philip. 2. Factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum. Quem locum de exaltatione resurrectionis late exposuit Athanas. orat. 2. contra Arrianos, quanquam eo loco indicet, eam exaltationem non fuisse mercedem

meritorum, sed debitam ratione diuinitatis corpori unitae. At vero, licet hic posterior titulus verus sit, non tamen est prior excludendus, qui magis est consentaneus verbis Apostoli, ut latius tractatum est superiori tomo disp. 40. sect. 3. Potest autem hæc ratio locupletari ex eodem Athanas. lib. de Incarn. Verbi, eiusque corporali aduentu, dicente, quia Christus morte sua mortem extinxerat, ideo resurgere debuisset. Profligata enim morte quid reliquum erat, nisi ut in tropheum deuicta mortis resurgeret? Et hæc ratio, secluso pacto, & promissione Dei, probat per se fuisse valde conueniens, ac proportionatum hoc premium illi merito. posita verò promissione, probat fuisse simpliciter necessarium.

Secunda ratio sumitur ex vtilitate, & necessitate ad confirmandam fidem. Quae dupliciter potest exponi. Primo, quia supposita predicatione Christi erat simpliciter necessarium ad veritatem fidei, Christum implere quod promiserat. Et hoc sensu (ut dicebam) intelligendum censeo locum Pauli, quem D. Thom. hic citat. Si Christus non resurrexit, inanis est predicatione nostra, inanis est & fides vestra. Absolute enim, etiam si Christus non surrexisset, posset esse in nobis vera fides, & ad salutem vtilis: tamen suppositis ijs, quae fides Christi docet, si Christus non surrexisset inanis esset talis fides, esset enim falsa. Et ita explicuit Paulus subdicens. Inuenimur autem & falsi testes Dei. Et eodem modo intelligendum est, quod postea subiungit, si Christus non resurrexit, vna est fides vestra. Adhuc enim estis in peccatis vestris. Quia nimirum fides falsa non posset esse vere sanctitatis initium, ac fundamentum. Secundo modo potest hæc ratio intelligi nulla suppositione facta, & hoc modo probat, fuisse vtilissimum ad persuadendam fidem, & ut homines possent facilius illam amplecti, Christum resurgere, simulque probat oportuisse, ut statim ante Evangelij predicationem resurgeret. Et hunc sensum confirmant optime alia duo scripturæ testimonia, quae D. Thom. hic adducit. Primum est illud. 2. ad Cor. ultimo. Etsi crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei: Alterum est ex Psal. 29. Quae vtilitas in sanguine meo, dum descendero in corruptionem? id est, si in ea maneam & non resurgam, neminem enim lucrabor passionem meam. Et hoc etiam sensu recte intelligitur, quod ait Paul. ad Rom. 4. Mortuus est propter delicta nostra, resurrexit propter iustificationem nostram.

Nam licet D. Tho. infra q. 56. ar. 2. aliter hunc locum exponat de causa instrumentali & exemplari: optime tamen etiam exponitur de causa (vera dicam) obiectiua, & motiua. Christus enim per passionem suam sufficiens destruxit peccatum: tamen, ut nos iustificaremur, & efficaciter nobis remitteretur peccatum, oportebat passionem Christi nobis applicari per fidem viuam. Resurrexit ergo propter iustificationem nostram, id est, ut fides nostra confirmaretur, & sic efficaciter iustificaremur, ut recte exposuit Adamus in illum locum. Et sumitur ex commentarijs Hieronymi. Qui morte sua nostra peccata aboleuit, necessario resurgens apparuit, ut iustitiam credentium confirmaret. Et Anselm. Resurrexit (inquit) propter iustificationem, id est, ut nos iustificando suscitaret a morte animae, quatenus iuste viveremus, quod aliter non poteramus. Et Ambrosius quamuis aliam expositionem indicet, tamen huic fauet, cum inquit. Ut ad cumulum nobis iustificationis proficeret, resurgens præcepit sui auctoritatem tribuit, ut eorum emulos nos hac fiducia faceret, per quam iustificemur, meritis vos angereamus, per quam gloriam adepti clari appareamus regno Dei. Chrysost. etiam ser. 9. in Epist. ad Rom. subobscure quidem, tamen eleganter confirmat tum hanc expositionem, tum rationem D. Thom. dum inquit, in resurrectione ostensum esse, Christum non propter sua peccata, sed propter nostra mortuum fuisse. Quomodo enim surrexisset, si peccator fuisset? Si vero peccator non fuit, propter alios crucifixus est. Erat per resurrectionem confirmatur fides

Testimonij
Pauli 1. Cor.
15.
Expositio.

2. Cor. 13.
Psal. 29.

Rom. 4.
D. Thom.

Resurrectio
Christi effici-
cissimum
fidei motiui
& incitame-
tum.
Adam.
Hieron.

Anselm.

Ambros.

Chrysost.

1. Cor. 15.

Resurrectio
Christi ne-
cessaria quo-
modo.
Luc. 23.
Philip. 2.

fides redemptionis nostræ, ut per eam iustitiam assequi possimus, ut postea Chrysostomus fusius declarat.

Rom. I.

Potest præterea hæc D. Thomæ ratio confirmari ex loco Pauli ad Roman. 1. *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute ex resurrectione mortuorum, iuxta electionem, & expositionem Græcorum, Qui declaratus est, quam in priori tom. dis. 50. sect. 2. satis probabilem esse ostendimus. In resurrectione enim Christi manifestata est vera eius diuinitas, atque ita plurimum fides eius confirmata est. Et ob hanc causam speciale signum suæ diuinitatis, & veritatis obtulit Christus Iudæis dicens. Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Ioann. 2. loquens de templo corporis sui, ut Euangelista explicuit, & Matth. 12. Iudæis*

Ioan. I.
Matth. 12.

petentibus signum, ipse respondit. *Generatio praua, & adultera signum querit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophætæ. Fuit autem resurrectio signum diuinitatis: tum quia Christus seipsum suscitauit, iuxta illud. Et in tribus diebus excitabo illud. Tum etiā, quia ipse Christus, sicut dicebat se esse Deum, ita prædixerat se resurrecturum, vnde sua resurrectione in*

Pet. Chrys.

utroq; veracem se esse probauit. Item quia (ut eleganter dixit Petrus Chrysolog. serm. 75.) *qui ante suam mortem prædixerat suam resurrectionem, vti que sicut scire potuit, potuit & cauere: sed quia vincere potuit, declinare contempsit, quia resurrectionis gloria sepeliuit morientis iniuriam. Et hinc etiam declaratur optimè D. Thomæ ratio. Nam si Christus mortuus in cruce, non resurrexisset, erubescerent homines credere in hominem crucifixum, qui Iudæis est scandalum, gentibus autem stultitia. Resurrectio igitur & pudorem, & metum credentibus abstulit, qui resurrectionis gloria sepeliuit morientis iniuriam. Denique, euentus ipse veritatem huius rationis probauit. Cum enim vsque ad passionem multa miracula Christus fecisset in confirmationem veritatis, quam prædicabat, pauci crediderunt: postea vero prædicantibus discipulis resurrectionem eius, vno die multa millia hominū crediderunt in eum. Fuit ergo resurrectio efficacissimum medium ad fidem conferuandam, & persuadendam. Et ita Athanasius lib. de incarnat. Verb. eiusque corporis aduent. ex his, quæ fides Christi in mundo operatur, ex gentium conuersione, Dæmonum expulsionem, Christum resurrexisse latissimè confirmat.*

Athanas.

Resurrectio
Christi spei
nostræ nutri-
mentum.
Leo Papa.
Greg. Pap.
D. Thom.
Iob. 19.
Ephes. 2.

Tertia ratio sumitur ex subleuatione spei nostræ. Quam optimè declarat Leo, serm. primo de resurrectione c. 4. dicens. *Et hoc inuitum factum nobis est resurrectionis in Christo, ex quo in eo, qui pro omnibus mortuus est, totius spei nostræ forma præcessit, &c. & sermone secundo. Ita dubitandum non est de consortio gloriæ, sicut dubitandum non est de communionem naturæ. Quod in sequentibus latè prosequitur: ac in fine tandem confirmat ex illo ad Philippenf. 3. Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformauit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Rursus Gregor. 14. Moral. capite 27. tractans eum locum, quem D. Thomas hic citat. Scio, quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, ait. Sui capitis gloriam sequuntur membra. Redemptor ergo noster suscepit mortem, ne mori timeremus: ostendit resurrectionem, ut nos resurgere posse confidamus. Vnde & eandem mortem non plus quam triduanam esse voluit, ne si in illo amplius differretur, in nobis omni modo desperaretur. Et hoc est, quod Paul. dixit ad Ephes. secundo. Conuersus est, & consedere fecit in caelestibus in Christo Iesu. Nam cum ipse in te vere suscitatus est, nos cum illo in spe conuiximus. Vnde Greg. Nazian. orat. 41. Hæc (inquit) cum Christo in cruce agebar: hodie simul glorificor. Hæc commoriebar, hodie simul viuificor, Hæc conspellebar, hodie simul resurgo, & oratione 42. in principio. Hodie alius mundo tam visibili, quam inuisibili, Christus ex mortuis, simul surgite. Christus ad se se, redite. Christus ex sepulcro, peccati vinculis soluamini. Por-*

Greg. Naz.

ta inferi aperiuntur, & mors opprimitur, & vetus Adam deponitur, & nouus perficitur, si qua noua in Christo creatura renouamini. In quibus omnibus alludit Greg. ad lo-
cum Pauli ad Colossen. 2. *Si conuixistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, &c. Nec dissimile est, quod inquit Athanas. sermone de passione, & cruce Domini. Necessarium est surgere saluatorem, conuixere quoque cum eo & ipsum Adamum, & omnes ex Adamo oriundos: & sicut moriente Adam, manebamus nos per eum mortui, ita quoque surgente Dominico corpore, necessum erat omnes cum eo con-*

Colos. 3.

Athanas.

1. Cor. 15;

surgere. Hic enim intellectus est Pauli ad Corinthios scribentis. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Et in huius, ac præcedentis rationis confirmationem multa peti ex eodem Athanas. lib. de incarnat. Verbi, & corporali eius aduentu, & Petro Chrysologo serm. septuagesimo quarto, & septuagesimo quinto, August. serm. 119. de temp. Vbi inter alia ait. *In passione quid agit? Docuit: quid tolleremus in resurrectione, quid egis? Docuit quid speremus. Hic opus, ibi merces: Opus in passione, merces in resurrectione.*

Pet. Chrys.
August.

Atque ex his, quæ dicta sunt exposita etiam est quinta ratio D. Thomæ, quæ fere cum duabus præcedentibus coincidit, scilicet Christum resurrexisse propter nostræ salutis complementum, ut non tantum nos malis liberaret, sed etiam bonis cumulare. Nam licet utrumque nobis moriendo meruerit, viā tamen ad id obtinendum resurgendo aperuit, exemplarque ac terminum nostræ exaltationis ostendit. Quarta vero ratio moralis est, & non indiget expositione, nec solutione argumentorum, quæ facillima sunt.

DISPUTATIO XLV.

In duas Sectiones distributa.

De Christi resurrectione, & causis eius.



X præcedenti disputatione probatum supponimus, resurrectionem Christi fuisse possibilem, & ideo solum superest inquirendum, an facta sit. Quid verò sit, non indiget noua disputatione. Quia quoad hoc non est alia ratio de Christi resurrectione, & de quauis alia, quod attinet ad vnionem animæ cum corpore sufficienter disposito. Quod verò pertinet ad vnionem hypostaticam, si aliqua in resurrectione reparata est: satis etiam est in superioribus dictum, addèdum verò aliquid erit de proprijs causis huius resurrectionis.

SECTIO I.

Vtrum Christus verè resurrexerit.

Hæretici, qui negarunt Christum esse verum hominem, aut assumpsisse verum corpus humanum, ac mortale, aut verè mortuum fuisse, necesse est, ut veram etiam resurrectionem negauerint. Præter hos autem refert Epiphanius. hæres. 28. Cherinthum asseruisse, Christum passum esse, & crucifixum, nondum vero resurrexisse, resurrectorum tamen postea in generali resurrectione. Aliter vero refert errorem Cherinthi Irenæus libr. 1. contra hæreses, cap. 24. Vbi dicit Cherinthum distinxisse Christum à Iesu, & asseruisse passionis tempore Christum à Iesu recessisse, & neque mortem obiisse, neque resurrexisse: Iesum verò, & mortuum fuisse, & resurrexisse. Augustin. verò lib. de hæresib. 8. expresse dicit Cherinthum negasse Iesum resurrexisse. Porro Tertullian. lib. de carne Christi c. 24. tacitis nominibus scribit, quosdam asseruisse, adhuc est animā Christi in cælo sine carne, quos resurrectionem negasse necesse est. Ac præterea addit, alios dixisse existere carnem

Epiphanius

Irenæus

Augustinus
Tertullianus